



C^Arolus ex nobili familia Miltitiorū in Saxonia natus & educatus est. Hic parentum cōfilio operam literis & uirtutibus dedit, atq^z in ijs plurimū profecit. Postea sese ad exterias nationes ipsamq^z Italiam contulit, & tandem Romanum peruenit. Ibi cum ob multas corporis & animi dotes conspicuus esset, Leo pontifex ipsum in Curiam acciuit, & suum Cubicularium cōstituit, quod quidem in Germano tum erat rarissimum. Verū Carolus non maiorum titulis superbire, sed proprijs uirtutibus innotescere uoluit, longē secus quam multi hodie nobilium faciunt, qui sibi nobilitatis nomen arrogant, & uitijs conspurcati uiuunt: cum tamen olim soli comites, barones, & proceres uerē tantū nobiles, atq^z alij nobilium ministri dicerentur, id quod Albertus Crantzius in sua Saxonia sepius cōqueritur. Accidit autem tum ut Lutherus propter editas de Indulgentijs propositiones Romanam citaretur. Id cum ei esset periculosisimum, Academia Vitebergensis huic Carolo 1518 Romanas literas scripsit, atq^z praeclarum pietatis & eruditionis Luthero testimonium dedit. Itaq^z petiūt à Carolo ut apud pontificem pro Lutheru intercedat, ac efficiat quō in Germania iudices non suspecti constituantur, qui totam illam causam cognoscant. Nec etiā Carolus huic